



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Junius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

tiamurque, in Patronum nostrum nobis eligamus Doctorem Ecclesiæ adeò Venerabilem, cui & unam sacramentalem Communionem offeramus! In hac cibus & potus datur verè sapientibus. Reficitur corpus: cur fame & siti pereat anima, & in hac Dei gratia?

J U N I U S.

Solemnitas Triumphantis, & Amantissimi Cordis D. N. Jesu Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quale agimus festum! Sanctissimum & suavissimum. Sanctissimum; quia de latere Jesu; Suavissimum; quia festum Amoris. Et ô dilecte fili! quot sunt, qui illud gratâ venerantur memoriâ? Quot sunt, qui singulari pietate, affectu, & devotione Cor Jesu consolantur & diligunt. En! novam & crudelem lanceam, quæ de-nudò Jesu renovat vulnera. O detestandam mortalium ingratitude!

Instructio meritoria.

Sed quid nos? O fili! compensemus

Q s in

in aliis defectum amoris, & ab hac die saltem singulis Feriis VI. Sacrosanctum Cor Jesu *aut quinque Pater, & Ave,* aut *Officio* de eodem, aut piâ mentali visitatione statuamus honorare; neque cubiculum sit amplius nostrum sine S. Icone de Dulcissimo Corde Jesu. Ubi Amor meus, ibi & cor meum.

II.

TRiste spectaculum! properat unus militum, & lanceâ latus jam mortui Jesu aperit, & transfodit. O humanam crudelitatem! Chare! *hujus* quando erit finis? O quot non adhuc inveniuntur, qui Longinô crudeliores quotidie vulnerant Cor Jesu, dum sua infrunita explere satagunt desideria! Accessâ sæva Crudelitas! Jesus enim quid mali egit? Fili! citò ad commiserationem.

Instructio meritoria.

Ita sanè! omnes proin cogitationes, omnes appetitus, & cupiditates præsertim circâ futura, hodie pleno animi affectu consecremus doloroso Jesu cum firmo proposito, tantummodò cogitandi

tandi de præsentī die, quomodò sanctè transeat, ne Deus offendatur. Addamus 15. *Pater*, & *Ave* in honorem effusi copiosè sanguinis ex corpore, & vulneribus Christi. O si quotidie continuaretur hæc pietas! Hic enim sanguis nostræ est pretium Redemptionis.

III.

O Excessum Amoris! jam pendet mortuus à Cruce Jesus! dat & ultimùm vulnus Cor suum. Quis infligit? Amor. Aperuit, ut miser haberet homo, quò fugeret tempore angustia, & tribulationis. Fili mi! Sine ærumnis non sumus. Sed neque sine refugio. Cur non quærimus?

Instructio meritoria.

In quacunq̃ue ergò fuerimus cordis pressura, vel nostrum intremus cubiculum, vel in templo procidamus, & Cordi Jesu potenter commendemus. Videbimus Auxilium Domini in tempore opportuno. Instituiamus proin octavam integram, & pro qualibet die unum; vel alterum patientiæ, humilitatis, aut alterius mortificationis actum conscribamus,

bamus, conscriptos Ven. Patri Spirituali extradamus ad benedicendum, & benedictos strenuè exerceamus. Sic crescent meritorum manipuli.

Festivitas Gloriosi, & Dulcissimi Cordis Augustissimæ Coelorum Reginae Beatissimæ & Immaculatæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Quàm multæ sunt afflictiones, & miseriæ nostræ! O fili! pati oportet, quia Deus vult, & imperat. Non pepercit Deiparæ! Peccator se eximat. Gaudeamus sub manu Domini, & omnia, quæ sustinemus, uniamus cum doloribus Mariani Cordis. Inde & nostrum cor gloriabitur in die tribulationis.

Instructio meritoria.

Ut vivamus filii digni Mariâ, matrem afflictorum, per septimanam singulis Feriis VI. recolamus septem dolores quos sustinuit Cor Mariæ tenerrimum. Ideò vel compassivò Rhythmo *Stabat Mater*, vel speciali jejuniò veneremus Filium

Filium & amor, & compassio probant.

II.

STat apertum cor Mariæ! Quid vult? Dare asylum miseris Evæ filiis. Et quis huc confugerat unquam, & aditum non invenit? Sumus peccatores! Curramus ad Mariam! Non abjiciet. *Misericordia Virginis sepè liberavit, quos Justitia Filii damnare potuit.* Idiota.

Instructio meritoria.

In refugium ut nobis veniat Maria, *Lytanias Lauretanas* perpetuemus, memores, quàm potens Nomen in his veneremur, & suspiciamus. Est enim Nomen, coram quo omne genu flectitur coelestium, terrestrium, & infernorum. Laudemus, & laudandò gustemus, quàm suavem in coelis habeamus Dominam. Regina enim est ob largitatem. Largitur servis suis dona gratiarum; vestes virtutum; thesauros meritorum; magnitudinem præmiorum. Rich. à S. Laur.

III.

QUare tristis est anima nostra? bella premunt hostilia! Mala nos cruciant

Q 7

ciant

ciant undique humana ! Quid tum
 Non patimur soli. Est Jesus frater ! Est
 & Maria Mater nobiscum. Ille offert
 sacrosancta vulnera ; Hæc materni cor-
 dis sinum dulcissimum , ut nostras in his
 abscondant ærumnas , & tristitias. Ac-
 cedamus ! Pandamus omnia , & intima
 cordis nostri exponamus. Nihil austerum
 in ea , nihil horribile , tota suavis est.
 S. Bern.

Instructio meritoria.

Quòd ita , experiamur recitando *Offi-
 cium* de dulcissimo Corde Mariæ cum re-
 petendo novies Cantico : *Magnificat.*
 Simus libenter cum Maria in templis.
 Utrique hoc non adeò difficile ? Ibi pul-
 semus ! Ibi petamus ! En ! Gazophyla-
 cium ! Aperietur supplicantibus ; ne du-
 bitemus. Filius pro nobis interpellat
 apud Patrem : Mater apud Filium. Quan-
 tum spei fundamentum !

Festum S. Erasmi Martyris, &
Patroni tempore afflictionis Cle-
mentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

EN! ridet S. Erasmus inter fustes, &
verbera, inter ferventem picem,
ceram & plumbum liquefactum. His
omnibus evadit integer. Quis conser-
vavit? Divina gratia. Bone! Cur nos
tam citò deijcitur? Turbamur? Hæc
nostra ignavia est. Hanc tollat firma in
Deum, & sanctos confidentia!

Instructio meritoria.

Ardeat hodie in nostro cubiculo spe-
ciale lumen, idque in honorem Glorio-
si Martyris cum tribus *Pater & Ave,*
& Psalmo: *Laudate Dominum om-
nes Gentes &c.* Cælum amicis abundat:
Cur negliguntur?

II.

S Erasmus Loricâ induitur ignitâ, &
pergit confiteri Jesum. Modica
tribulatio, vel turbatio nostrum invadit
animum: O fili! Et vix non desperan-
do negamus Jesum. O nos modicæ fi-
dei

dei

dei, & constantiæ! Multùm in hoc debemus adversitatibus, quæ eodem qual conjunctæ fœdere auxilio sunt ad humilitatem; plùs nobis boni una facit tribulatio, quàm omnes suis favoribus amici.

S. Franc. Xav.

Instructio meritoria.

Gratulemur S. Erasmo, & quidquid hodie occurrerit primum de adversitate illi in devotionis offeramus victimam. Quam victoriam, uti & plures ejusmodi patientiæ, & fortitudinis actus annotabimus in quodam libello in hunc finem præparato. *Facite vobis sacculos*, præceptum Domini est! In honorem 14. Auxiliatorum oremus 14. *Pater & Ave cum Credo.* Tot pro uno! Quanta securitas!

III.

Angelus astitit semper S. Erasmo, quæ & eum à tormentis, & manibus carnificum non rarò eripuit. Non deserit coelum amantes. Amemus! Paciamur! Magna pro Deo audeamus! Procul cum timore! Fidelis Deus in retribuendo, si & homo in serviendo.

Instructio meritoria.

Simus Cultores quatuordecim SS. Auxiliatorum, quos inter eminent S. Erasmus, certumque nobis intrâ hebdomadem constituamus diem, quem illorum honori ex toto consecremus cum *Lyta- nis de omnibus Sanctis*. Additò uno, vel actu alterò mortificationis vel in sensibus, vel voluntate propriâ. Quis faciet hoc? Et laudabimus eum. Dabit Deus occasionem! Nos promptam voluntatem.

Festum SS. Norberti Episcopi,
& S. Ordinis Præmonstratensis Fundatoris Gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Quid hoc? O dilecte! S. Norbertus aulam deserit Imperatoris, vestem induit laceram, & miræ austeritatis aggreditur vitam. An non hoc est ludere mundo? Lusit & hic fat nobis: Fugiamus cum S. Norberto. Qui humana deserit, recipiet cœlestia.

Instructio meritoria.

Ut crescat ad insigne Ecclesiæ decus

can.

candidissima S. Norberti familia, Deum supplicemus, & pro Illius institutione gratias agamus privatim intonando *Te Deum Laudamus*. Honoremus primos Parentes, ut simus longævi super terram

II.

S Norbertus in Episcopum electus solebat dicere : *Fui in solitudine, & in indignitatibus ; sed jugum Domini carioris quibusque antepono*. Chare ! & nos jugum Christi ita vilipendimus ? Non contemneremus, si cum S. Norberto plus Deum, quàm terram æstimaremus. Tantus est amor, quanta æstimatio.

Instructio meritoria.

Contemptus sæculi. O quàm necessarius ! Ut eò pertingamus, aliquid de contemptu legamus, & legendò meditemur : Neque sæculi negotiis nos curiosius intricemus. Memores, quod Christus suis discipulis : *Quærite primum Regnum Dei*. Addamus & Platimum : *Quàm dilecta tabernacula Domine Deus virtutum*. Terram pedibus calcamus : & ut patriam amamus ? Quid hoc ?

III.

S. Norbertus quadraginta diebus se præparat ad primum Sacrum celebrandum. O quæ nostrum confusio! Qui tam viliter de hoc Divino sentimus sacrificio. *Accedite cum fide*, clamat S. Augustinus, *accedite & cum tremore ac dilectione*. Hæcne in nobis?

Instructio meritoria.

Compensemus, & hodierno sacro erectis manibus, & summâ corporis decentiâ assistamus, neminem aspiciendô, neque spirituales Communionem intermittendô. Oratio nostra sit devota recitatio *Officii de SS. Altaris Sacramento*; vel *S. Rosarii* sub mysteriis gaudiosis. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum.

Festum Thaumaturgi potentissimi S. Antonii de Padua.

EXHORTATIUNCULA I.

O Magnum Antonii zelum! Proficitur S. Francisci Ordinem, ut Saracenos adiret, & ad martyrum palmas per Evangelii prædicationem deveniret.

Ar-

Ardeamus & nos! Dilecte fili! pro Deo
Ecclesia, aut multa scribendo, aut legen-
do, aut pro charitate, & utilitate reli-
gionis laborando. Sine his nec Chris-
tiani, nec religiosi meremur vocari.

Instructio meritoria.

Ad augendum numerum virorum
Apostolicorum recitemus *Officium de S. Antonio*, & adlectionem Martyrologii
seu vitas sanctorum omni fervore atten-
damus, & sub his paria audendi pro
Deo, & lucro animarum desideria con-
cipiamus ardentissima. Christianorum
est, agere magna, & pati fortissima
quantò magis Christianorum.

II.

EN! ad imperium S. Antonii multo
adorat Sanctissimum Altaris Sacra-
mentum, & convertitur hæreticus. Qua
nostra ergà Deum Eucharisticum reve-
rentia? Si non sublimis, devotissima, à
mulo confunditur. Ut crescat fides,
& cum fide charitas ergà sacrosanctum
Venerabile

Instructio meritoria.

Unam extraordinariam Visitationem
in-

instituiamus cum officio, vel Lytaniis hujus dulcissimi Sponsi; visitationes à manè, à prandio, & nocte nunquam intermittamus. Oves sumus: ubi Pascua? quaramus! Inveniemus in prodigiosa Eucharistia.

III.

O Prodigium! trigesimus secundus jam annus præteriit à morte S. Antonii, & lingua reperta est adhuc in ore incorrupta, ac integra. Fili mi, Ecce! quantum profit, dixisse pro Deo & lucro animarum. Sit Deus in corde! sit & in ore nostro! Quod extrà Deum est, nec latificat, neque fatiat!

Instructio meritoria.

Os & lingua, ne sint membra iniquitatis, signet sæpius per diem S. Cruce cum dicto: *Domine labia mea aperies. & os meum annunciabit laudem tuam.* Manè & nocte in satisfactionem eorum excessuum, quos circà linguam commisimus, exosculabimur duodecies terram cum suspirio: *peccavi Domino!*

Festum

Festum S. Viti Triumphatoris
invictissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Bellum puerulum! vix natus duodecim annos, jam fidem Christianam amplexus, despicit & tyranni tormenta, & proprii parentis blandimenta. Fili! quid nos ageremus? Non vincemur à sanguine? sensualitate? At non est obediendum hominibus, sed Deo qui & vincere, & triumphare dabit.

Instructio meritoria.

Ut discamus mori consanguineis, & amicis, in honorem quatuordecim Auxiliatorum, quos inter & gloriose triumphat S. Vitus, 14. Pater & Ave cum totidem *Gloria Patri* persolvamus. Auxilium nostrum de cœlo: & dubitamus de victoria?

II.

Quis nostrum, dilecte mi! diffidat de Adjutorio Dei? S. Vitus ut ex Sicilia in Neapolitanum Regnum appelleret, Angelum præstò habuit, & avidum Martyrii eò deduxit tutissime.

Non

Non deest Deus, neque Angeli, si nobis non deficiat fides, & firma confidentia. Nemo in orbe miserior illô, qui spem amisit; Neque ulli necessitas ingruit major, quàm cui fiducia nulla suppetit.

Instructio meritoria.

Ad augendam in nobis vivam fidem, spem, & charitatem, SS. Rosario semel recitato subdamus *tria Ave* specialia cum petitione: *Auge vivam fidem, spem firmam, Charitatem perfectissimam.* En! comites, & socios pro via & itinere ad aternitatem. Stamus vicini præcipitio sine harum virtutum exercitio.

III.

O Dei Providentiam! Deserto ab hominibus Martyri advolat aquila, & per aliquot dies cibis sustentat esurientem! O quàm vanæ sunt hominum curæ! Chare mi! Nos corpori invigilamus, & coelestium obliviscimur: Ut quid ergò oramus: *Pater noster, qui es in caelis!*

Instructio meritoria.

Necessitates nostras, sive corporales,
sive

sive spirituales ad Ecclesiam, & ad ar-
deferamus, easque commendemus dul-
cissimis Cordibus Jesu, & Mariæ tem-
pore, quò fit à Sacerdote Panis, &
vini consecratio. Dum tempus acce-
tabile, pulsandum, clamandum, me-
dicandum est. Oremus Psalmum
Confitemini Domino, quoniam Bonus.

Festum S. Bennonis Pontificis
& Bavariæ Patroni Prodigiosi.

EXHORTATIUNCULA I.

A Lapam accipit D. Benno. Quo
animò? Hilari. Gaudebat pro
Nomine Jesu contumeliam pati. O-
li! Vincamus & nos in bono malum
Audiemus in lectulo mortis: *Dimisi-
sunt ei peccata multa; quoniam dilexi
multum.* Non est ultio sanctior, quam
prompta illatæ injuriæ remissio. Ultio-
nem tam heroicam ut hodie probemus.

Instructio meritoria.

Pro omnibus nos offendentibus, au-
contemnentibus, vel persequentibus
unam sacramentalem Communionem
cum uno Rosario doloroso offeramus.

Ref.

Resistit natura? Audienda non est!
 Præceptum enim Domini urget nos:
*Diligite inimicos vestros; benefacite
 his, qui oderunt vos.* Jesus monuit:
 quis renuet?

II.

Ulcisci potuisset Vir Dei tantam
 contumeliam. Noluit, ne Judex
 foret in causâ propriâ. O sanctitatem!
 Fili! non imitabimur? Abjiciamus,
 omnes indignationis, & injustæ ultionis
 motus. Deus solus ultionum Domi-
 nus. Is sciet nostram defendere cau-
 sam. Ergò quiescamus.

Instructio meritoria.

Ad quoscunque iracundiæ impetus,
 quos hodie in nostris senserimus mem-
 bris, paululùm subsideamus, nihil di-
 sponamus, nihil loquamur usque dum
 commotus in seipso quieverit animus.
 Quin & in nostrâ vehementiâ citò per-
 gamus ad ecclesiam, vel aliam imagi-
 nem devotam, & expansis brachiis re-
 citemus psalmum: *Qui habitat in adju-
 torio &c.* Iramque intrâ vulnera Jesu

R

abscou-

abscondamus. O quàm mutati recedemus à Dei Tabernaculo!

III.

RAnæ concionantem Apostolicum perturbant virum. Jubet S. Benno tacere: & obediunt. Bruta silentii obsequium Dei; & homo non taceat aut garrere non pertimescat in præsentia regis cœli, & terræ? pro tantis irreverentiis quis satis faciet?

Instructio meritoria.

Post refectionem frequentius visitemus Divinam Majestatem, ibique in compensationem omnium irreverentiarum 15. *Pater & Ave* in honorem quindecim Mysteriorum vitæ Christi Jesu devotè recitemus cum suspirio D. Thomæ: *Dominus meus! & Deus meus!* Beati, qui non viderunt, & crediderunt!

Festum

Festum B. Aloysii Gonzagæ ex
Inclÿta Societate Jesu Angeli secun-
dum carnem.

EXHORTATIUNCULA I.

ECce! fugit à Marchionatu! Deserit
amicos & parentes innocens Aloy-
sius. Fugit, ut solus esset cum solo Je-
su. O fugam saluberrimam! O fugam
& nobis apprimè necessariam! qui mun-
dum, & consanguineos diligit, jam
cor suum inter Deum, & carnem divi-
dit. O iniquam divisionem!

Instructio meritoria.

Renovatio votorum sic unio nostro-
rum cordium. Addamus & *Te Deum*
Laudamus pro gratia vocationis. Op-
tima vocationis probatio, fidelis voto-
rum executio.

II.

BAloysius (verè anima Deo devota
& cœlo!) Septennis adhuc pue-
rulus flexis quotidie genibus septem,
psalmos pœnitentiales cum officio Bea-
tissimæ Virginis persolvit. O quàm
sanctè vivere incipit, qui à pœnitentia,

R 2

&

& Maria vitæ ducit exordium ! Si nec-
dum ita inchoavimus, hodie statuamus.
Amor enim otiosus, vel morosus non
est!

Instructio meritoria.

Hinc coram icone Beatissimæ Virgi-
nis officium minus de Immaculatâ Con-
ceptione quàm ferventissimè persolva-
mus. Sic tu nos visitas, qualiter re-
colimus.

III.

O Fili ! quid lego ? Vix decimum
tertium attigit annum B. Aloysius.
ter in hebdomade pane, & aquâ jejunat-
bat. Deficiente ciliciò, equorum ute-
batur calcaribus, & quolibet die diviti-
flagellis desæviit in suum & virgineum
& innocens corpusculum. O nos deli-
catos ! ò nos timidos carnis nostræ ho-
stes, & inimicos. O mirum ! si præva-
leat, & anima sub tyrannide vivat. Ve-
rùm per merita Juvenis tam sancti

Instructio meritoria.

Dirumpamus vincula, & S. rigores
quæramus, statuentes Feriâ VI. vel in
die Sabbathi jejunium nocturnum

Mul-

Multiplicare abstinentias si placuerit, frater erit B. Aloysii, & socius ad gloriam. Mortificatio ut regnet in omnibus membris. addamus *septem psalmos penitentiales*. Non differamus! propria exigit salus.

Festum S. Joannis Baptistæ Præcursoris Domini.

EXHORTATIUNCULA I.

Sanctus fuit S. Baptista in nativitate, sanctus in vita, sanctus in morte. O quot gratiæ in hoc parvulo! O fili! innocentiam amemus, pro puritate omnia impendamus, & certè Dei gratia semper manebit nobiscum.

Instructio meritoria.

Sanctè ut vivamus, & moriamur, S. Joannem Baptistam in Advocatum pro hora mortis nobis eligamus, hujusque in venerationem diem Martis singulari pietate recolamus, recitando *novem Pater & Ave*, in honorem novem mensium, quibus quievit sub utero Matris. Gaudeamus in Nativitate S. Joannis Baptistæ! Gaudeamus! sed in Domino!

R. 3

II. Na-

II.

Natus vix tres annos, jam petiit hic
 trimulus eremum, & rigidam in-
 choavit pœnitentiam. Quid mirum, si
 suam nunquam amiserit innocentiam.
 Hæc servatur rigoribûs! Perditur debili-
 ciis, & voluptatibûs. Illos quæramus
 Has detestemur & refugiamus. Autibi
 pœnitendum! Autibi ardendum!

Instructio meritoria.

Injiciamus frœnum oculis, & mun-
 dum relinquamus suis affectis. Nos fre-
 quenter adeamus Ecclesias, & tanquam
 solitarii cum Deo solo agamus! Sustineamus quoque patienter corporis mo-
 lestias, vel alias animi occultas ærum-
 nas. Sic sic similes erimus pœnitenti-
 bus. Per hanc octavam quotidie unum
 Psalmum ex Pœnitentialibus persolva-
 mus. Hi testabuntur cor contritum, &
 humiliatum. Et respiciet cœlum.

III.

SCimus, quàm potens sit in cœlo SS.
 Consanguinitas Jesu, Mariæ & S. Jo-
 sephi. In qua & S. Joannes eminet.
 O si & nos, (dilecte mi!) incorporare-
 mur!

mur! O quàm feliciter viveremus! O
quàm & dulciter moreremur! Ut fiat,
& membra simus de tanta familia

Instructio meritoria.

Feria III. recitabimus Litanias de
Consanguinitate Jesu, Mariæ, & Josephi,
& præsentis octo dies quotidiano actu
vel humilitatis, vel propriæ abnegatio-
nis, vel abstinentiæ, aut alterius virtu-
tis heroicæ transigamus, petitâ tamen
Patris spiritualis licentiâ. Quò genero-
sior devotio eò gloriosior. Jesus, Ma-
ria, & S. Josephus sat potentes sunt. Ut
quid parcimus pietati.

Festum SS. Martyrum Joannis,
& Pauli Patronorum contrâ tempe-
states potentissimorum.

EXHORTATIUNCULA I.

O Viros gloriosos! Julianus apostata
inter suos familiares invitat hoc
par nobile fratrum. Negant illi, liberè
protestantes, se nolle cum illo esse, qui
à Christo Jesu defecisset. An non hoc
est, ire in mortem cum Christo? Fili!
Quid nos egissemus? Vel quid agemus

R 4

im-

imposterum, ubi standum pro Nomine Dei?

Instructio meritoria.

Ne propter respectum humanum propter quem toties offenditur Deus puniatur fulmine, aut grandine, aut incendiis, vel aquarum inundatione delictis patria, recitemus *Lytanias de omnibus Sanctis*. Orantibus parcunt elementa.

II.

Quis Deus, & Dominus noster, quem solum veneremur, timeamus, & adoremus? Nonne Is ipse, de quo SS. Joannes, & Paulus ad Terentianum dicentes: *Si tuus est Dominus Julianus habeto pacem cum illo! Nobis alius non est, nisi Dominus Jesus Christus*. Sic fides, sic amor loquitur in Martyribus. Quid autem in cordibus nostris?

Instructio meritoria.

Ut eandem Confessionem, & æqualem reverentiam exhibeamus coeli, terræque Domino, quoties ingressi fuerimus cubiculum, flectentes præsentem nobis Deum adoremus, ore venerabundo

do salutantes : Ecce! *Dominus meus, &
Deus meus! Centies millies Salve!*

III.

Pretiosa mors Sanctorum! Mortem celare voluit impius apostata. At non potuit; quia ipsi daemones proderunt ad sepulchrum Sanctorum Martyrum abacti ex corporibus possessorum. Non simus solliciti, dilecte! pro Nomine, & vita nostra! Est Deus in caelo, qui defenderet, si sanctè finierimus. Et quis id non optabit? Benè finit, qui exemplariter vixit. Homo judicat secundum visum; Deus quoad conscientiam. Hæc si bona, quid curamus hominum ora?

Instructio meritoria.

Abjiciamus curas inanes, & frivolas pro commoditatibus vitæ! Mortis recordemur! Hinc ad singulas noctes testamentum nocturnum ubique in libellis precatoriis inveniendum devotè præmittamus. Beatus, quem mors invenerit vigilantem! Mors prævenientibus amicus! Serovenientibus carnifex, & tyrannus.

R 5

Fe-

Solemnitas SS. Apostolorum
Petri & Pauli Columnarum in Ec-
clesia Romana fortissimarum.

EXHORTATIUNCULA I.

Viris Apostolicis indiget Sancta Ma-
ter Ecclesia, ut horum fervore,
doctrinâ, calamô, & insigni vitæ exem-
plò indies crescat in suorum fidelium
corde. Dilecte! Filii sumus tantæ ma-
tris? Romanæ Ecclesiæ? induamus er-
gò zelum Dei, & Spiritum Christi!
quid aliud retribuamus Matri?

Instructio meritoria.

Pro exaltatione Romanæ Ecclesiæ, &
multiplicatione virorum Apostolico-
rum *duodecim Pater, & Ave* cum co-
tidem *Gloria Patri* oremus. Quid
hunc in finem, quoties refectorium pro
refectione ordinaria accedimus, 1.
Ave in silentio nobiscum recitarem?
O quem spiritum Ecclesiæ, S. Ordini
& nobis inde impetrarem? Consilium
est! Si bonum: non excusandum.

II.

O Miseriam hominum ! interfuit S. Petrus plerisque Jesu miraculis ; & tamen hunc ipsum suum ter negavit Magistrum. Quô tempore ? Tempore Passionis , & humanæ Redemptionis. En ! fragilitatem nostram ! & quid ? Tamen sine timore , & tremore operari volumus salutem. O Fili ! credimus, nos stare. At timeamus, ne cadamus.

Instructio meritoria.

Petrus ob suas lacrymas factus est petra omnibus poenitentibus. Gratulemur Petro ad Christum revertenti, & pro gratia præservativa respectu nostrum humiliter supplicemus intonandò : *Te Deum Laudamus.* Hæc laus poenitentibus propria.

III.

NOVUM prodigium Divini Amoris ! Paulus persequitur Christum, & eligitur in præcipuum Doctorem Gentium. O quando veniet conversio nostra ? Quando poenitentia ? Chare ! quid sumus ? quid fuimus ? Nonne & nos inter persecutores ? Quando ergò erimus & inter

396 II. Julii. Visitationis B. V. Mariæ.

Apostolos? Quando inter Jesu Christi
Confessores? Si voluntati nostræ per-
versæ renunciaverimus cum S. Paulo
clamantes: Domine! quid me vis
cere?

Instructio meritoria.

Abnegatio sui ò quàm necessaria vi-
tus! quàm utilis! proficua! quam
acquiramus, duodecim actus statuamus
voluntati, vel judicio proprio direc-
tissimos, quos & Patri spirituali exhibe-
amus pro sancta benedictione. Sicut
Patre errat filius.

JULIUS.

Festum Amicissimæ Visitatio-
nis Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

EXurgens Maria abiit in montana.
Non curat ardua montium itinera.
Amor dulcoravit omnia. Quò pergi-
mus? Fili! nunquid ad montem sancti-
tatis, & Christianæ perfectionis? Quis
eò pertinet? Qui pigrum odit, &
aversatur cum otio, & labores æstimat.